



Disputatio metaphysica de facili & difficili

<https://hdl.handle.net/1874/340991>

DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
FACILI & DIFFICILI.
QUAM

Favente Deo Opt. Max.

S U B P R A E S I D I O

D. PAULI VOET J.U.D.& L.A.M. Metaphysices ac Logices in almâ Academiâ Ultrajectinâ Professoris ordinarii,

Publicè defendere conabitur,

WILHELMUS SALIUS Wal-Zeelandus.

Ad diem 30. Novemb. hora 10. matut.



ULTRAJECTI,
Ex Officina JOHANNIS à WAESBERGE,

Anno M DC L.

Doctissimo Piissimoque Viro,

D. THEODORO SAE L, Ec-
clesiaz Arnemudanę Pastori vigilantissimo, Patri
suo, filiali amore, quoad vivat, colendo & hono-
rando.

S I C E T

Præstantissimo Doctissimoque Viro,

D. ISAACO SAE L, Patruo suo di-
lectissimo & plurimum honorando,

N E C N O N

Eximia doctrina & pietate conspicuis Viris,

D. CORNELIO BEUCKELAER. } Illis Pastoribus vigilan-
tissimis & cognatis suis

D. JOHANNI BOLLE. } dilectissimis.

D. JACOBQ van HECKE. } Huic Pastori & ami-
co quoad vivat hono-
rando.

P R A E T E R E A

Doctissimo atque Eximio

D. IOHANNI LUDOVICO, Re-
ctori solertissimo Gymnasii Zirizeani de studiis suis bene
merito.

Hoc exercitium Philosophicum humanissime

Inscribit, Offert, & Dedicat

WILHELMUS SAE L, Resp.

DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
FACILI & DIFFICILI.

THESES I.

Hesibus anterioribus à me explicata sunt
ratio Potentie & Actus, ibidemq; dictum
Potentia vocabulum duplicum admittere
significationem, vel in quantum sumitur
pro ente nominali, nondum existente, sed
potente existere, vel in quantum accipi-
tur pro ente existente, sed habente in se
potentiam ad aliam aliquam perfectionem, que si illi superad-
veniret, nihil adveniret impossibile. Quacunque acceptione
sumatur vox Potentia, illi applicari poterunt ratione ejus
quod produci posset, termini, modi, denominations (prout
quis eas vocare lubuerit, per me licet) Facili, & Difficili.
Quod enim est in potentia objectiva, existentiam seu actum
entitativum recipere poterit, adeoque ex potentia ad actum
ducetur, vel facile vel difficulter. Rursum, quod est in poten-
tia subjectiva, stricte dicta, aut obedientiali, recipere dicitur
novam perfectionem superadditam, vel facile, vel difficulter.

Cum igitur facile & difficile dicatur potissimum in ordine
ad potentiam, cui aliquid sit facile, aut difficile factu: quia
ubique nulla potentia aliquid producendi, ibi nec quic-
quam facile aut difficile fieri potest: cum quod nihil possit,
aut ne quidem hoc possit, difficulter quicquam posse, immo-
rito dicatur: & quod difficulter sit, etiamnum posse fieri
quamvis argu, censeatur. Vterius cum rō fieri ponat à
parte causæ potentiam, per quam id fieret, quod fieri posse
asseritur: satis superque colligitur facile & difficile primo ex-
pliq

plicari in ordine ad virtutem efficaciorē vel debiliōrem ,
consideratam à parte causæ , secundum quam vel magis vel
minus expedite operatur , in effectus intenti productione.

III.

Eapropter hāc thesi non id omnibus aliis facilitatis aut dif-
ficultatis speciebus sum acturus , utpote de quibus agant alibi
vel Philosophi vel Theologi . Secundum quos etiam facile
et difficile considerantur in ratione perceptionis , seu in ordine
cognitionis facilioris & difficultioris distinctæ , confusæ ; quo
etiam referuntur disputationes variaæ variorum , de pri-
mo cognito in ordine percipientis potentie , tam intellectivæ ,
quam sensitivæ . Tantum mihi proposui explicationem faci-
lis ac difficilis in ordine effectio[n]is seu productionis cuiuscun-
que entis & entitatis .

Vnde primo facilitatis definitio talis esse poterit . Est ali-
quis dependens modus , secundum quem unum ens ad alterius en-
tis virtutem expedite sequitur . Non addo definitioni : sine
resistentia ; ut nonnulli volunt . Quia in productione hujus
aut istius entis , nondum extra potentiam objectivam consti-
tuti , à parte objecti propriæ non datur resistentia , cum nihil
resistere dicatur nisi quod sit , & habeat quicquam à parte sui ,
per quod resistat : nihil autem detur à parte ejus , quod non
est , per quod obviā eatur efficacia virtutis agentis , quod
que illi positive obstatu[m] esse possit quo minus aliquid agat .
Adeo ut frustra singatur resistentia à parte Chimeræ , Hirco-
cervi , vel alia quæ difficultas , cuius nomine à Deo talia pro-
duci non posse dicantur . Nisi quispiam adeo abusive vocabu-
lum resistentiæ interpretetur , ut per illam , à parte objecti in-
tellectu[m] velit , talis objecti impossibilitatem , in terminis re-
pugnantiam , quæ qui a se non poterit , resistere virtuti effi-
cientiæ negative dicetur . Additur in defo est dependens modus .
Nihil quippe ad alterius virtutem subsequitur , quod
non quoquo modo , ab eo , ad quod subsequitur , dependeat ;
Idque eo magis , quò plus per virtutem entis antecedentis
produ-

producitur; cui si non in totum, saltem pro parte debet, quod sit vel simpliciter, vel secundum quid, supple, ens tale. Dicitur porro. *Vnum ens ad aliud sequi*; quia quod sit per potentiam seu virtutem cujusdam causæ, res est, sive primum producatur, sive in eo productio, aliquid novi producatur. *Etenim, nonnisi effectuum, facilis vel difficilis est productio,* ergo nonnisi entium. Cum effectus & causæ nomina, sint nomina affectionum entis realis.

V.

Vnde quæsumus, utrum malitia, seu peccati, sit facilis vel difficilis productio. Resp. 1. Malitiae, qua talis, per se nec facilis nec difficilis est productio, quia uti dictum, nonnisi effectuum est productio. Verum malitia non est effectuum, sed potius defectum, cum causam habeat non effectivam, sed defectivam.

2. Dici tamen poterit, aliquo sensu vitii difficilem seu facilem esse productionem, in quantum, qui deviat à bono, vel sine reiunctione, sive remorsu deviat, quia cum oblatione peccat; vel cum remorsu conscientie, cum aliquâ pugnâ deviat. Atque tum potius resistentia, vel facilitas est à concomitante ente, quam ab adjunctâ malitiâ.

3. Dici poterit, per modum oppositi habitus facilem aut difficilem esse peccati productionem in quantum virtutis habens, vel facile, vel difficulter acquiritur, expellitur. Quo sensu illud tritum explicandum: facilem esse ad vitia regressum. homines esse in vita pronos, faciles: id est, virtutis viam esse acclivem; ut in Cebetis tabulis hoc expressum est, gradienti ad Salutis ædes, multa obstacula, & difficultates objectas fuisse.

VI.

Additur in definitione: *sequitur expedite*: in eo quippe consistit differentia inter facile & difficile. & comprehendit vocabulum, *expedite*, facilitatem in modo producendi, circumstantiis, efficacia, augmento, intentione virtutis producentis. &c'

VII.

Ex quibus omnibus jam dictis satis innotescet, in quo consistat ratio formalis *Difficilis*. Cum enim oppositorum uno cognito, cognoscatur alterum: & oppositorum prædicata sint opposita. Tantum danda erit opposita *facilitati*, *difficultatis* definitio. *Difficile est*, quod ad potentiam alterius non expedite sequitur. Duo dicuntur, 1. difficile quod est produc-
tu, adhuc sequi ad potentiam alterius. 2. Sed sequi, non adeo expedite. Vnde colligitur, per prius *Difficile* distingui adhuc ab *impossibili*, quod nunquam, ergo nec ægre, ad cuiusquam sequitur virtutem. Per pôsterius autem distingui, à facili, secundum quod aliquid dicebatur expedite sequi. Neque mo-
veor, quod *difficile* quandoque illud dicatur, quod *impossibile*. ut quando dicitur, *quam ægre intrabunt divites, in regnum cœlo-
rum*, id est, non intrabunt illi, qui omnem fiduciam in divitiis posítam habent, quia tales locutiones sunt minus propriæ. Præterquam quod etiam vice verâ locutione *impropriâ* illud dicatur *impossibile* quod *difficile*, quia videtur esse impossibile. Sic loquitur D. Paulus ad Galat. 4. verl. 15: *Testimonium reddo vobis, quod si fieri potuissent, oculos vestros effosso dedisseris mihi*. Quod tanquam *impossibile* per *improprium* loquendi modum hic refert Paulus, non erat absolute *impossibile*, quia in Oedipo exemplum contrarium est; sed quia nihil carius est nobis oculis nostris, videbatur esse, inspecto hominum ingenio, quo se, & sua membra, amant, sovent proflus *im-
possibile*.

VIII.

Quod dicitur in definitione *difficilis*, aliquid non expedite se-
qui. ne tam referatur ad effectus indiuisibiles, qui sunt &
producuntur in momento, quam quidem ad præparamenta,
ipsos effectus antecedentia, ad intensiorem virtutem, etiam
virtutem protensiorem, etiam ad tales effectus, qui secun-
dum aliquam successionem producuntur. Sic nulla sit gene-
ratio, nisi antecedentibus quibusdam alterationibus, nisi vir-
tuti virtus cumuletur. Sic non superabitur una qualitas ab
alii

aliâ qualitate in instanti, sed per moram vel per aliquam successionē superabitur, quod aliter superari non poterat. Cunctando fertur cunctator ille Maximus, rem Romanam restituisse, quæ restitui aliter non poterat. Arbor ut cadat, non unico, sed pluribus opus est ictibus. Ergo paulatim perficitur, producitur, consumitur, destruitur, quod momento non poterat.

IX.

Ex quibus jam dictis consequitur omnia, quæ fiunt à creaturis, fieri cum aliquâ difficultate; quia nihil fit à creaturis, nisi cum tempore. In qua etiam distinguitur operatio dæmonis, mira edentis, ab operatione Dei; nunquam quippe illa miracula dicenda, quia nunquā instanti fiunt: semper enim cum præparamentis perpetrantur, etiā si videantur in instanti, quoad nos fieri. ergo adhuc aliquam moram exigunt. Hinc etiam colligitur à parte Dei nullam dari difficultatem in operando: quia quicquid vult, potest sine præparamentis, sine intensione virtutis, cum ejus virtus intensissima, potest etiam sine mora. Quicquid enim in quounque momento gaudet virtute intensissima, quounque momento, omnem difficultatem, si quæ sit, superare poterit. Tum quia nullibi dari potest infinita difficultas; illa quippe nunquam exauriri posset, & per consequens non esset difficultas, quæ definita fuit quod superetur, sed non nisi ægre. Ergo quondam exauriatur. Neque enim hic singimus cum Poëtis aut dolia pertusa, aut crimum quo aqua hauriatur, aut Ixionis rotam, aut Sisiphi saxum, &c. Tum quia si daretur produc̄tio entis non infiniti, non posset à parte ejus entis esse difficultas infinita. Igitur cum si quæ sit difficultas, eam finitam fore necessum sit. Et ista, quæ à parte Dei datur potentia sit infinita. Neque uno & altero momento, le ipsa sit aut intensior, sed in quounque momento id habeat, quod aut unquam habebit aut habitura est, circa cuius augmentum aut decrementum; neque etiam ratione diuturnitatis possit fieri major, cum quod infinitum majus esse se nequeat: Sequitur id quod momento per potentiam

tiam divinam fieri non potest, per eandem fieri nunquam posse. Idque eo magis, quod difficultas, quæ finita, infinites ab infinita potentia supereretur. Ergo quicquid fieri potest, momento fieri posset. idque multo maxime, quod nihil illi difficile, cuius solo nutu, vel verbo, quidvis existit.

X.

Supereft ut inquiram in originem in genere aut *difficultatis*, aut *facilitatis*, quæ erit vel major vel minor disproportion, aut proportio; quæ inter causæ virtutem, & effectum producendum existit. Ne hic autem quisquam per disproportionem intelligat, aut inconvenientiam in aliquo genere, ut si forte cælum producat insectilia, aut inconvenientiam contrariorum, ut quando ex contrariis contraria producuntur. Sed tantum elongationem in majorem inter potentiam & actum, in ordine virtutis producentis ad objectum. Quo sensu, quia maxima dicitur esse elongatio, inter nihil & ens, non facile aut *difficile*, in ordine creaturæ tale quid dici poterit, ut ex nihilo producatur, quia prorsus creaturæ impossibile est. Et quod impossibile est, differentias *facilis*, aut *difficilis*, in quantum est impossibile, non recipiat. Qui sensus nisi assumatur, absurdus oriretur sensus. Ex. gr. à Dæmone non generari hominem constat: & tamen ab eo, produci posse vermes nemo negabit: major tamen in genere entis est dissimilitudo inter posterius, quam prius. Ex quo exemplo colligitur, in *difficultatis* explicatione non respici, tam disproportionem entium ad invicem, quam quidem potentia & actus, & virtutis producentis in ordine ad producibile.

XI.

In specie oritur *difficultas* producendi effectum. Vel ex resistentia termini à quo. Vel ex præstantia termini ad quem, vel ex indispositione subjecti; vel ex medio per quod; vel ex multitudine agentium circumstantium, oppositorum; vel tandem ex inceptitudine principii agentis, quibus singulis difficultatis modis, quivis de se exempla facile applicuerit.

COROL.

Corollaria Respondentis.

I.

Primum Ens est ubique.

II.

Vnum Corpus cum movetur est tantum in uno loco simul.

III.

Deus non est causa malii.

IV.

Angeli generare non possunt.

V.

Angeli ex se futura contingentia praedicere nequeunt.

VI.

Angelorum numerus nobis est incognitus.

VII.

Malum qua malum non habet rationem finis.

VIII.

Nulle stellæ scintillant.

IX.

Terra est elementum siccissimum.

X.

Stellarum numerus nobis est ignotus.

XI.

Stella sunt ejusdem materiei cum Sole.

XII.

Ex cursu Stellarum nihil certi praedici potest de futuris
contingentibus.

Præ-

Præstantissimo D. Respondenti.

Hoste triumphato, victor DUX, atque
secundo
Marte ferox quondam læta trophyæ tulit;
Ait te vicitrices lauri monumentaque
Nulla
Delectant, nullus sanguine tintus ager:
Diva Themis pro Marte tibi fit arena
Lycæum,
Et quatit arma sacræ Palladis alma cohors?
Omnis ab ingenio labor est, Ratione
triumphus,
Præstat & officium lingua diferta suum.
Astræ tu miles ibi sale pectore
tincto
Obvia diffringis cornua, & arte dolos:
Hicce Σοφία sagax, te stat defensa,
patrono:
Hostibus hic vicitis induperator ovas.
Ergo age flos juvenum, quo te rapit æmula
tanti
Spes patris, excelsas aggrediare vias:
Sic patriæ mox grande decus lumenque
futurus,
Sictua post cineres fama perennis erit.

Individuo ac singulari Amico suo

Cecinit

I. CLEMENTIVS.